

admissus cum utroque et amoris et complexus conscius epithalamium caneret et diceret: «Ecce tu pulchra es et decora, ideo introduxit te Rex in cubiculum suum.» Et itidem de Sponso: «Amicus tuus candidus et rubicundus.» Hoc ergo zelo zelatus populum Dei optavit anathema esse a Christo pro fratribus suis cum Apostolo et deleri a libro Dei cum Moyse, ut populi dimitteretur offensa. O quanta de Dei misericordia præsumptio! optabat pro Christo separari a Christo. Pro Christo nolle habere Christum, deleri a libro vitæ ut tenacius scriberetur in libro vitæ! Revolvensque illam sententiam Apostoli: «Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,» cum primo honorem sitiret, non laborem: nunc e regione opus, non opulentiam; onus, non extollentiam desideravit. Proponensque se exemplum in se retorquebat

illud Apostoli: «Imitatores mei estote, sicut ego Christi.» Sicque nihil docuit quod non fecisset, sicut ordo docendi postulat, sed versa vice quod ordo non postulat, multa erubuit docere quæ non erubuit facere, militans Deo in occulto, sed non ad occultum, imo ad hominum et angelorum commune spectaculum. Jam enim quod egit occulte in cubiculo, quod abscondit etiam in mentis secretario, super lecta prædicatum est.

[Lectio quarta.] Interea regnante gloriosissimo rege Anglorum Henrico secundo, quævit terra a prædonibus, pax et securitas erat a latronibus, evigilavit justitia, restaurabantur sanctorum ædificia. Canticum et jubilatio audiebantur in clero, etc.

(Hæc ex ista Passione excerpta in præsentis sufficient; cætera si quis legere velit, in ipso codice requirat.)

HYMNUS DE SANCTO THOMA

ARCHIEPISCOPO CANTUARIE.

Laureata novo Thoma,
Sicut suo Petro Roma,
Gaude Cantuaria,

Imo tota sit devota,
Pia laudum solvens vota,
Militans Ecclesia.

Thomas iste, dum tuetur
Legem Dei, promeretur
Iram regis Angliæ.

Ergo pulsus urbe cedit,
Et transcurso mari credit
Sese regi Franciæ,

Qui gratanter et condigne,
Tam devote, tam benigne,
Sicut patrem visitat.

Ibi velut novus tyro,
Thomas in fervore tyro
Regi regum militat.

Tandem pace reformata,
Pace dolis palliata,
Regressus ad propria,

Jura servans Deo servit,
Inde sævit et protervit
Hostis arte varia.

Nunc ut vulpes frauu enta,
Nunc ut tigris violenta,
Tentat omnes aditus.

Nunc minatur, nunc blanditur,
Ille nihil emollitur,
Idem manens penitus.

Rex compertus non moveri
Virum assertorem veri,
Nec frangi propositum,

Oves armat in pastorem,
Cohortatus ad cruorem
Cohortem satellitum.

Ergo neque parricidæ
Tam infande quam infide
Libertatis ut patronum
Tollant et usurpent thronum,
Ruunt in ecclesiam:

Præsul orans in secreto
Palam prodit hoste spreto,
Nec turbatur quies mentis
Turbæ metu sævientis,
Sed procedit obviam.!

Sancti caput sacerdotis
Exoptatum mille votis
Sanctæ matris gremio

Ferrum bibit, cruor manat,
Et ibidem cæcum sanat
In tumultu medio.

Quid loquamur quæ sequuntur?
Per se satis eloquuntur
Ubique miracula,

Dæmon cedit, mors obedit,
Desperatis salus redit,
Lepræ fugit macula.

Angulose rex Anglorum,
Regem nescis angelorum
Universa singulorum
Ponderantem merita

Quisque metet id quod serit,
Impunitum nihil erit,
Nec capillus ullus perit,
Nedum ipsa capita,

Cleri gemma, clare Thoma,
Motus nostræ carnis doma
Precum efficacia,

Ut in Christo vera vite
Radicati, veræ vitæ
Capiamus præmia. Amen.